



18a



THESES
DE JURISDICTIONE,

Quas,

Præfide Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo

DN. HENRICO COSELIO, de Pezlino.

*vez J.U.D. & P.P. Curia Electoralis, Facultatis Juridicæ & Scabinatus Adfessore,
Patrono ac Præceptore suo piè colendo,*

Commilitanum examini subjicit

Christophorus Joachimus Felgenhauer, Nob. Misn.

Ad diem 17. Junii h. m. Anno 1653.



Th. **J**urisdictio est potestas de civilibus & privatis causis jus reddendi, jure
Magistratus competens *Satb. dissert. de jurisd. aph. 173. Hanius ad w. VVe-*
fenb. tit. de jurisd. nota 3.

2. Mallem Wefenbecii definitione uti, nisi ambiguitatibus quibusdam la-
borare videretur. Primam prima verba continent: *jurisdictio* est potestas de
causis &c. Varia genera causarum sunt. Etiam tutoris datio causa est Hanc
tamen neminem habere nisi ex speciali concessione ille ipse magnus vir affirmat
lib.



lib. 1. tit. 21. n. 4. Altera in his latet: quam Magistratus ex ordinario officii sui jure &c. videtur negare, rationem ignoro, extraordinarias cognitiones ad jurisdictionem referendas esse. Certè non minùs Magistratus jurisdictionem exercebat, ubi extrà ordinem ipse judicabat atq; cum judicem pedaneum dabat, eiq; formulam præscribebat. *Hanius d.l. Sub. aph. 301.*

3. Ineptè Baldus in suâ substantiâ jurisdictionem habitum esse dicit. Minimè hæc iis actionibus, quibus habitus, acquiritur, nec ipso actu cum habitu convenit.

4. Mixtum imperium est potestas modicè coercendi jurisdictioni inserviens. *Sub. aph. 238.*

5. Bartoli definitionem minimè probamus. Hæc loco generis jurisdictionem habet atq; in eo differentiam ponit, quod mixtum imperium nobili iudicis officio expediatur. Non ut genus à specie, sed ut species à specie jurisdictionis à mixto imperio differt. Illa ergo huic essentiam genericam tribuere nequit, quæ caret, nec hoc sub illa comprehenditur. *idem aph. 281.* Quod ad differentiam parum hæc propriam rei naturam exponit, dum jurisdictioni communia tradit atq; removet quod erat addendum. Namq; etiam jurisdictionis officio iudicis nobili expediatur, & mixtum Imperium mercenario.

6. Mixtum imperium jurisdictioni & hæc illi cohæret. Illud quidem huic per modum accidentis, hæc illi per modum antecedentis inest. Quemadmodum autem pacta distincta à contractibus manent, ubi iis adjiciuntur: ita jurisdictionis ac mixti imperii diversa planè ratio superest, licet sæpius conjungantur. *Arumæus ad l. 3. de jurisd. t. b. 1. Hanius d.l. nota 7.*

7. Merum imperium est publica potestas, super criminalibus juris dicendi ac in reos criminum animadvertendi. *Bacch. ad w. VVesenb. tit. de jurisd. nota 6.* A potiori parte saltem in l. 3. D. de jurisd. describitur: quod sit habere potestates gladii, ad animadvertendum in facinorosos. Etenim tres gradus pœnarum sunt, quæ per merum imperium infliguntur. Præter pœnam capitalem illi proximam à reis sumere, vitam civilem iisdem eripere, fustibus & aliis pœnarum instrumentis scelera persequi illis concessum est, qui merum imperium habent. *Trentl. vol. 1. disp. 3. t. b. 5.*

8. Merum imperium ante Caroli Magni tempora penes imperatores tantum fuit, ad Præsides provinciarum & alios Magistratus superiores saltem exerciti-

citium ejus translatum est. Cum verò Regalia Germaniæ principibus communi-
cata fuere, non jure Magistratus, sed jure superioritatis hereditario primates
imperium merum nacti sunt & adhuc retinent. *Suth. apb. 400. & seq.*

9. Antequam merum imperum in patrimonio esse cepit, ac quamdiu extra
commercium & dominium privatorum fuit, solâ speciali supremæ Majestatis
concessione acquiri potuit. Præscriptionis objectum inhabile semper fuit. *idem*
apb. 411.

10. Jurisdictio ac mixtum imperium totidem modis olim acquirebantur,
quot creabantur Magistratus. *idem apb. 409.*

11. In nostrâ Rep. & jurisdictio, & mixtum, & merum imperium, tanquam
res patrimoniales, præscribuntur. Ad quam præscriptionem quæ requirantur
multis exponit. *Paurmeisterus lib. 1. c. 21. de jurisd. Imp. Rom.*

12. Inter jurisditionis species, quæ à Doctoribus inventæ sunt, Baldi statu-
taria & Donelli mixta omninò rejiciendæ sunt. Hac, per quam Donellus tuto-
res dari ait, nomine jurisditionis non venit, sed est ex speciali concessione, illa
quæ in jure leges & statuta condendi consistit, pars Majestatis est atq; adeò ad
regalia potius referenda. *Bacch. ad π. VVesemb. tit. de jurisd. n. 8. Arumaus Exerc. 3.*
tb. 4.

13. Jurisdictio in propriâ & advēitiâ rectè dividitur. Advēitiâ in mādātā &
prorogātā. *Bacch. d. l. Mandari jurisdictio & mixtū imperiū potest, merū imperiū*
nec leges nec canones mandare permittunt. Matth Steph lib. 1. cap. 18. n. 24. & 70.
de jurisd. Principes tamen, ac qui jure proprio illud possident, sæpè aliis ad cer-
tum tempus mandare merum imperium quotidie videmus. *Paurmeisterus lib. 1.*
c. 23. n. 22. de jurisd.

14. Clericis judicem Laicum eligere haud licet, nec Ecclesiastici jurisdicti-
onem prorogare, nisi Episcopus consentiat. Quod quidem prætextu magis
quam vera juris ratione ita sancitum videtur. *Matth. Stephani lib. 1. c. 22. n. 11.*

15. Patrimonialis jurisdictio nostrâ atate invito judice prorogari non potest.
Matth. Steph. lib. 1. c. 25. n. 50. de jurisditione.

16. Expresse prorogata jurisdictio pœnitentiâ non finitur, postquam judex
aditus, tacita v. tum demum, ubi lis contestata est. *Hanius nota. 14.*

17. Dividitur porrò jurisdictio in separatam, concurrentem & communem.
Concurrentem est Camera cum Imperatore. De feudis regalibus & aliis causis,
quas sibi imperator reservavit, ipse solus cognoscit. Etiam Vicarii-Elector Pa-
lati-

113
Latinus & Saxo, vacante imperio, de feudis illis cognoscere non possunt. *Limnaus*
lib. 3 § P. c. 12. n. 7.

18. In concurrente præventioni locus est, cujus ratio plane alia ac conti-
nentiæ causarum. Illa ideò locum habet, quia ubi captum est iudicium, ibi fi-
niri debet; hæc quia difficilè videretur posse plures iudices de coherensibus causis
sine errore iudicare. *Matth Steph. d. l. n. 13.*

19. In foro Saxonico duæ saltem jurisdictionis species reperiuntur, Alta sc.
& Bassa. Quantum potestatis utraq; tribuat possessori suo in foro communi
admodum dubium est, propter diversas constitutiones à principibus Saxonie
sancitas. In Electoratu facilius ex ordinatione provinciali ac responso illustris-
simi nostri Electoris de ea re constare potest. Hec pro certo affirmare licet, u-
tramq; aliquid imperii mixti continere. Nam Bassa non solum nudam cogni-
tionem permittit de causis civilibus; sed & aliquam coercionem, alta v. etiam
leviora crimina levi poen. punire concedit. *Carpz. in praxi crim. p. 3. q. 109. n.*
21. & seq.

20. Judex superior in iis casibus, de quibus jurisdictio alta sententiam ferre
solet, alterius subditos, qui bassam tantum habet, etiam ab hoc non impetrata
veniâ, citare potest. *idem. n. 94.*

21. Pro jurisdictione ordinariâ tam possessoria, quam petitoria remedia com-
petunt. Realia petitoria pro patrimoniali sunt actiones utiles confessoria &
negatoria, quæ absurdè effecta jurisdictionis vocantur. Titulorum potius effe-
ctus sunt, per quos jurisdictio acquisita fuit. *Matth. Steph. lib. 1. c. 40. n. 1. & seq.*
Bach. disp. 3. th. 11. ad Trentl.




X 2615909

VDA







18a

TIONE,

mo, Excellentissimo

o, de Pezlino.

ridicae & Scabinatus Adfessore,
iè colendo,

subjicit

enhauer, Nob. Misn.

anno 1653.



itis causis jus reddendi, jure
isd. apb. 173. Hancus ad w. VVe-

ambiguitatibus quibusdam la-
ent: *jurisdictio* est potestas de-
uroris datio causa est Hanc
ne ille ipse magnus vir affirmat
lib.

